Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 965
Quelle:
Copyright:

nimitate, *iusticia*, *temperancia*. Succedunt *Salomon*, *Ambrosius*, *Jeronimus*, *Augustinus*, *Johannes Chrysost.* *Isidorus*, e quo multae notiones rerum naturalium, uti et e *Solino*, qui tamen interceptus est a praecedentibus *fol.* 58. Commercio illo subpofititio epistolari *Senecae* et *Pauli*, quod post alios habes in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* P. II. p. 892. ubi noto, Epistolam *ultimam* perperam praeferre numerum XIII. pro XIV. cui mendo fisus Cl. Vir in *Biblioth.* sua *Eccl.* p. 66. *n. r.*) scripsit Epistolas tantum extare *numero tredecim*. In *Solino*, quem dixi, abrumpitur praeclara haec Ανθολογια, in qua fortasse non deerunt, quae ad perficiendum praecipue *Isidori* et *Solini* textum conferre possint.

Adligatum est Codici 1) folium chartac. Sec. XIV. inscriptum: *Qualiter accedendum sit ad dominici corporis et sanguinis mirabile Sacramentum. Cap.* XL. et incipiens: *Confessiones autem dari diligenter precipimus maxime de commocionibus animi antequam ad missam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare* &c. Finit nervosa adhortatio e synodalibus quibusdam Canonibus, aut Capitulis evulsa: *Quidquid dixeris pecuniarum vertitur causa* — —. 2) adhaerent membranae tres Sec. XIII. inscriptae: *Excepta de primo libro senece de beneficijs*. Pervadunt etiam Libros reliquos.

CCCCXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 167. 24. priori parte crassiuscule, posteriori tenuiter, utrobique nitide exaratus, et coloribus illustratus continet I. *Anselmi* Archiep. *Cantuar.* Dialogum II. *Libris* distinctum, et inscriptum: *Cur Deus Homo.* Mulctatus est in hoc Exemplo Capitibus VI. primis et dimidio ita, ut nunc sit initium a verbis: *sapientia sua, qua etiam mala bene ordinat, permittente* &c. Librum II. praeit Elenchus Capitum, qualis etiam fuerit ante I. et hic Elenchus in Edit. *Gerberonii Paris.* 1721. f. titulorum vicem agit. Textus cum hac editione collatus mendis non caret. R 3340

II. *fol.* 87. *Incipit prologus in librum de documentis antiquorum editus a fratre Bartolomeo de pisis ordinis predicatorum.* Dicam plura de hac Compilatione inferius, ubi Versionem ejus *Italicam* adferam. Hic duobus praemunitur *Indicibus*, primo alphabetico, altero materiei juxta XL. *Distinctiones* procedente. Prologus infit: *Sapientiam sanctorum exquiret sapiens. Eccli 39. 1. Quoniam, ut ait Cassiodorus, humanus sensus* &c. Opus vero ipsum: *De corporis pulcritudine C. 1. Corporalis itaque pulcritudo uana utique est. Prouerb. ult. Fallax gratia et uana est pulcritudo.* In hunc sensum adfertur deinceps *Hieronymus*, *Gregorius*, *L. I. Reg. c. 16. Seneca*, *Boethius*, *Juvenalis*, *Ovidius*, *Secundus* Philos. *Petronius*, eademque ratione